CARDINALITIA QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS IIII. MARTII, M. IOANNE HAVTIN, DOCTORE ET MEDICO REGIO, MODERATORE.

An melancholia imaginatricis affectus?



PHANTASIA princeps facultas, in anteriore cerebri parte locata, humido gaudet temperamento. Omnium communis animantium, ſenſum perpetuò comitatur ab eoque pendet omnino. Erroris prorſus non expers, falſa pro veris interdum amplectitur. Rerum abſentium percepta ſimulachra aliquandiu conſeruat, ſpecies inter ſe componit & diuidit, quæ nuſquam ſunt nec eſſe poſſunt ſibi pro arbitrio effingit. Ad eam pertinent inſomnia, medico tum ad διάγνωσιν tum ad πρόγνωσιν non inutilia. Bruta, vt homines ratio, regit ac impellit. Hac qui pollent ſolertes ac ingenioſi ſunt & ad multa excogitanda prompti.



HVIVS actio in comate minuitur, quod ex fictricis imbecillitate magnam in ſomnum propenſionem inducit. idque dupliciter: aut enim profundo & diuturno ſopore, clauſis ferè ſemper oculis, cum ſtertore & anhelitus difficultate æger corripitur exiſtitque καταφορά, aut ſomno variè interrupto per vices dormit & vigilat, palpebras modò attollit modò deprimit & κῶμα ἄγρυπνον dicitur. hoc pituitoſus & bilioſus humor, illam pituitoſus tantùm committit. Aboletur in caro & catalepſi. κάρον inexpugnabilis dormiendi neceſſitas ſequitur, quæ febre vacua ſenſum motumque adimit integra & incolumi reſpiratione. hunc crudi frigidi & humidi ſucci inuehunt. Κατάληψις ab humore frigido & ſicco, qualis eſt melancholicus, ortum habet: quo affectu ita obrigeſcit æger, vt quocunque ſtatu prehenſus ſit, eôdem permaneat.



FVNCTIONES imaginatricis deprauant vertigo, melancholia & lycanthropia. In vertigine omnia circumagi videntur & in gyrum verti, vnde ἴλιγγος & δῖνος, tenebræ oculis offunduntur, vnde σκοτόδινος & σκότωμα, vt ſæpe laborans corruat niſi propinquis nitatur adminiculis. Aures tinniunt, auditus grauis, guſtus etiam atque olfactus vitiantur, ventriculis cerebri anterioribus obſtructis aliena materia, quæ à vaporibus impulſa in orbem rotatur ſecumque ſpiritus mouet & agitat. A pituita gigni, grauitas, inappetentia, memoriæ & ſenſuum hebetudo indicant. A bile, capitis dolor, ſitis, oris amaror. A melancholia, timor, mœſtitia, inſomnia funeſta. A ſanguine, laſſitudo, ſomnolentia, rubor vultus & eorum quæ ante oculos obuerſantur. vertigo caret periculo. eâ ſedentes rarò corripiuntur.



MELANCHOLIA, quæ delirium affert ſine febre, cum metu, triſti & profunda cogitatione, frigida & ſicca eſt cerebri intemperies cum vapore aut humore plerunque coniuncta. Ætate ingraueſcente frequentiùs inuadit, viros ſæpiùs affligit quàm mulieres, quæ grauiùs tamen ac vehementiùs hoc morbo cruciantur. Acutis affectibus & diuturnis non rarò ſuccedit. Cauſam habet internam, melancholiam naturalem, quæ fæx eſt ſanguinis eiuſque portio impurior. externas, aërem craſſum & paluſtrem, autumnum, otium, exercitia immoderata, ſtudia, curas, ſolicitudines, amorem. ſigna, timorem continuum & mœſtitiam, quæ ater humoris melancholici color parit, vultum & capillos nigros, oculos cauos & profundos, aſpectum in vna aliqua re penitùs defixum. Lycanthropia fit cum melancholici malo inualeſcente multa animo fingunt abſurda, hominum conſuetudinem conſpectumque fugiunt, ſolitudines quærunt, mortuorum ſpeluncas errantes ſectantur eoque ſe recondunt ac ſæpe luporum ritu vlulant.



MELANCHOLIA ex ſe minimè lethalis, ſi aliis morbis annectatur periculoſiſſima. Eâ liberantur quibus hæmorrhoides aut varices aut tormina ſuperuenerint. Ad eius curationem moderata corporis exercitatio, longior ſomnus, balneum aquæ dulcis non parum conferunt. veſcantur melancholici cibis ſucci optimi & coctu facilibus. vinum album eligant & ὀλιγοφόρον. aluum teneram habeant. crebrò purgentur, nec paulò vehementiora cathartica humori accommodata reformident, quibus phlegmagoga ſemper adiungantur. illis amplo vulnere vena ſecetur, multùm ſanguinis detrahatur. Melancholici quamuis linguâ titubent & balbutiant, animo tamen pręclara cogitant. nam futura non rarò pręſentiunt, ex inſomniis arcana multa comperiunt, aliaque opera edunt admiranda, quæ vulgus naturæ vires ſuperare credit, cum illorum cauſa celeribus & inordinatis deprauatæ imaginatricis motibus tribuenda ſit.

Ergo melancholia imaginatricis affectus.



Aſſerebat HIERONYMVS GVLONIVS, Gręcarum literarum Profeſſor Regius, anno ſal. 1610.